D. Joannes à Cruce

Kozierowski Seb. Jos: Sanctior Hercules clava crucis inferni monstra triumphans.

Teol. ~~5133.~~

SANCTIOR HERCULES CLAVA CRVCIS

Inferni Monstra

TRIUMPHANS, D. JOANNES A CRUCE,

Annuâ suæ Festivitatis recurrente die In Celeberrima S. MICHAELIS ARCHANGELI Basilica, PP. CARMELITARUM Discalceatorum Cracov:

In Numeroso Magnorum Hospitum Concursu.

Devotâ Panegyri,

A

M. SEBASTIANO JOSEPHO KOZIEROWSKI,

In Alma Universitate Crac: Philosophiæ DOCTORE & Professore.

DEMONSTRATVS.

Annô quô

Magna trophæa ferens De Capta CrVX stIge VenIt.

Die 14. Decembris.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

In Stemma
ILLUSTRISSIMÆ
STRUSSOVIANÆ
DOMUS.



LAbuntur faustó STRVSSORVM FLVMINA cursu
Et sonitu clarum NOMEN ubiq; ferunt
Audit uterq; Polus prægrandia gesta VIRORVM
Quæ celeri fluctu grata procella sonat.
Totum jam Lechicum latè diffusa per Orbem,
Sola perennis adhuc gloria, meta manet.

ILLVSTRISSIMO
AC
MAGNIFICO DOMINO,
D. ANDREÆ
DE STRUSSY
STRUS,
CASTELLANO BECENSI
BENDZINENSI &c. CAPITANEO,

Domino & Mecænati Amplissimo.

EX umbroso Academi luco ad publicam ILLVSTRISSIMÆ DOMVS TVÆ lucem umbratilis properat Facundia, & Herculeis fatigata laboribus dulciflua triplicis OCEANI TVI lymphâ exambit recreari: ILLVSTRISSIME DOMINE MECÆNAS. Nullibi equidem umbris Academicis assueta clariore vultu & sereniore fronte micare potuit, quam nativis ILLVSTRISSIMI NOMINIS TVI circumfusa splendoribus, & nectareis FLVENTORVM TVORVM refocillata undis, quæ ternò decur-

rentia Ostiô, *Polonum Orbem & exornant*, *& fœcundant. Non jam invidemus septemplicem Ægypto Nilum*, *cùm* OCEANVS TVVS *ternô in Orbis Sarmatici commoda exundat alveô*, *quô Lechici inundati Campi fœcundam Laurearum proferunt messem. Euripus hic nulli capiendus Stagyritæ quô fonte sua ducat exordia? quô latice in Campos Polonos diffunditur? prima annotarunt sæcula ex cruenta Gradivi arena eundem promanasse. Labuntur fortunata* FLVMINA *quò vetustiore*, *eò venustiore profluviô*, *& per Regalibus cognata Thronis decurrendo fastigia*, *eò suaviori susurrô Polonum recreant Orbem*, *quò celsiore erumpunt locô. Vilescit Gangis Pactoliq́ aurea procella*, *cùm* ILLVSTRISSIMA STRVSSORVM FLVENTA *nectareas ripas*, *& aureos non interruptô sæculorũ tractu volvunt fluctus*, *quibûs & Solio decorẽ*, *& Solo Lechico valorem accumulent. Non solum jam Nilum parvum nemini videre licuit*, *ubi* ILLVSTRISSIMA STRVSSOVIANÆ DOMVS FLVMINA *per Orbem Polonum diffusa*, *exiguô nũquam decurrunt rivô*, *imò hostili* Tartarorum, Turcarum, Prussorum, *aucta cruore*, *ultra Borysthenem*, *Istrum*, *& Danubium exundarunt. Periclitata toties in hoc* HELLESPONTO *perfida hostium vesania*, *& non semel triste passa naufragium.* OCEANVS *nempe hic cùm Fortunæ Lechicæ Classem ad fortunatas deferat Insulas*, *contra hostes Patriæ ferreâ intumescit tempestate*, *ut veriùs quàm olim Simois & Scamander volvat scuta virûm.* DOMVS *hæc fœcunda Heroum Parens*, *Martis Lechici Regia*, *& heroicæ fortitudinis seminarium. Quot Viros produxit*, *tot strenuos enutrivit Bellatores*, *qui Patriæ & Marti bellaces litando Animas*, *vitam cum morte commutant*, *ut eam Patriæ inspirent. Spectavit admirabundus Orbis Polonus duo fulmina belli* FELICEM & GEORGIVM STRVSSOS, *qui igneum in prælia ferentes pectus*, *Martiali animati Spiritu*, *in densa Tartarorum ruentes Agmina*, *& veriùs quàm olim Romanus Cocles totam* Bogdani *sustinentes potentiam*, *inter ferream grandinem invictas pro Patria posuerunt animas.* STANISLAVS *de Strussy* STRVS *vera Martis progenies*, *dum innatâ suæ* DOMVI *Virtute fortior Alcides*, *Tauricanas enecat Harpyas*, *in Rastavicensibus Campis copiosâ*

sâ immortalis famæ collectâ messe, Martialem effudit Spiritum. IACOBVS *de Strussy* STRVS Capitaneus Chmielnicensis, *& fortis & fortunatus Bellator, quoties infestas barbarorum vidit turmas, toties fugavit, triumphavit.* GEORGIVS *de Strussy* STRVS *Asiæ terror, & Europæ communis amor, invictô animi sui robore utrâq; Fortunâ major.* NICOLAVS *de Strussy* STRVS, Haliciensis, Colomiensis, Sniatynensis, Lubacoviensis, Capitaneus, *heroicæ Virtutis prodigium, in promiscuo hostium confluxu,* Livonum, Hungarorum, Valachorum, Getarum, Moldauorum, Otthomanorum *acerrimus bellator, toties triumphavit, toties pro integritate Patriæ incatenatum egit obsidem, ut verus Patriæ Civis, genuina Gradivi Proles apparuisset, & pro tot tantisq; invictæ fortitudinis documentis à* Serenissimo SIGISMVNDO III. *Senatoriam Purpuram meruisset.* ERASMVS *de Strussy* STRVS *Fabius Lechicus, mille elogijs vel ideo celebrandus, quòd cùm ab honoribus ambiretur, illos fugeret, quia omnibûs major erat, & hæreditariâ* Illustrissimæ DOMVS Suæ *contentus gloriâ, chalybeô mucrone immortalia sua facinora secuturæ notavit posteritati. Belli fulmen alter* ERASMVS *de Strussy* STRVS Proavus Tuus Illustrissime Domine, *ferreus in prælia Heros, non armis, non jaculis cedere sciens, per medios hostes, per mille discrimina volans, & ætatem Marti, & vitam Patriæ consecravit. Honores fugiens, ad victrices palmas gyganteô cucurrit passu, & certare par, & mori pro Patria paratus. Felix & fœcundus aureâ Prole* ERASMVS, *quinos in decus & præsidium Patriæ produxit Filios, ceu Decios Polonos, quos vix Illustris ablactavit Lucina, mox ad Martis genium educandos, pugnaci Bellona excepit sinu, & per continua bellorum discrimina, ferreos in hostium perniciem exercuit Heroes. Hinc* PAVLVS *de Strussy* STRVS in Exercitu Regni Hastatæ Cohortis Præfectus, *Martiali Parentis Spiritu in ardua quæq; animatus, tot* Cosacorum *fugatis turmis, tot* Tartarorum *profligatis Cohortibûs, dum contra* Prussos *strenuè dimicat, tormentariô trajectus globô, saluti Patriæ vitam cum Sangvine victimavit.* ERASMVS *de Strussy* STRVS *& Nominis, & Virtutis Paternæ ex asse hæres, diuturnis bellorum attritus laboribûs,*

ſcythicæ barbariei in immortale ceſſit ſpolium. Nempe atrox Tartarorum *perfidia fortibus inhians Viris, ferratum Virum* ERASMVM, *pro millenis ab eo ſibi illatis cladibus, nobilem prædam in* Tauricam *abduxit.* NICOLAVS *de Struſſy* STRVS *magnanimus Hector pro Nativa excubans Trojâ, innumeris* Pruſſorum *confoſſus telis, in Arena Martis tumulum nactus, quia niſi milleno vulnere generoſum animum efflare poterat.* SIGISMVNDVS *de Struſſy* STRVS *juratus* Scytharum *hoſtis, non tam eorum Sagittis, quibus celerior fundebat hoſtes, quàm continuis laſſatus Victoriis, hæreditariâ* STRVSSORVM *morte, in ſinu Martis occubuit. Nempe quibus in mediis Lucina poſuit cunabula Caſtris, in Caſtris etiam tumulos Libitina parat, ut rarum de* Illuſtriſſima STRVSSORVM DOMO *invenias Virum, qui non in Acie Martis occumberet.* ANDREAS *de Struſſy* STRVS Avus Tuus Illuſtriſſime Domine, *vix natus, jam Marti notus, quia comes individuus, cujus magnanima Virtus, & infractum heroicæ fortitudinis robur, inter continua bellorum eluxit certamina, ut nullus Patriæ fuiſſet hoſtis qui vel ad Solam* STRVSSII NOMINIS *recordationem, infandum millenarum cladium non renovaſſet dolorem. Hic præter quaternarium Filiarum numerũ* IOANNEM ALEXANDRVM *de Struſſy* STRVS Tuum æſtimatiſſimum Genitorem, *majorem & fortunatiorem Macedone reliquit Bellatorem. Qui Prætextæ ſagum anteponens, pro materno lacte hoſtilem ſitiens cruorem, generoſam in armis exercuit indolem, & Paternis inſiſtens veſtigiis, cruentis negotiis Martialem excoluit animum. In Caſtris domeſticus, periculis enutritus, hoſtibus in terrorem, Cõmilitonibus in amorem, Regibus ceſſit in delicium. Spectavit non ſine cordis ſui oblectamine* SERENISSIMVS VLADISLAVS IV. REX Poloniarum, *infractum periculis belliſq;* IOANNEM, *& ſupremis cumulaſſet honoribus, niſi ille mereri honores, quàm poſſidere glorioſius ducens, eoſdem refugiſſet. Haſtatus, imò totus ferreus Heros, tot infeſtos Patriæ hoſtes coævâ* Majorum ſuorum *Virtute profligavit, jam ad* Pilawce, *jam ad* Zbaraz, *falcatus Miles, millena* Coſacorum Tartarorumq; *demeſſuit Capita, & mitiùs ſapere edocuit. Vidit ſuæ Majeſtatis Tutatorem, Suetici Martis aduſtus ardoribus* SERENISSIMVS IOANNES

NES CASIMIRVS Poloniarum REX, *&* *iam in gaudia effusus*, *jam admiratione defixus*, *magnanimam illius intuebatur dexteritatem*, *qui non tam celeri sonipede*, *quàm feruidô Martis concitatus Spiritu*, *in medios ruebat hostes*, *illos &* *cruentatô cædendo mucrone*, *&* *invictô animi sui robore fugando*. *Plurimos scilicet Gothici Martis satellites*, *aut victore prostravit gladiô*, *aut vivos*, *sui ausûs daturos pænas*, *in Castra duxit*. *Fatale dein* Hungarorum, Cosacorum, Scytharumq; *fulmen*, *ad* Beresteczko *raræ fortitudinis edidit specimen*, *cùm singulari certamine binis prostratis hostibus*, *terrore ipsô exanimatum tertium Duci in tributum*, *&* *in suæ fortitudinis obtulit documentum*. *Nec novit aliter*, *nisi vinctis Patriæ hostibus*, *amicos sibi conciliare*. *Inter Martiales ignes educatus*, *Conjugalibus etiam indulget tedis*, & Pretiosissimam Erythrei RVPNIEVIANI Gemmam ZOPHIAM, veriorem Orbis Poloni Pulcheriam *in sociam vitæ*, *sortisq; hæredem admittit*. *Necdum tamen Bellonæ divortium indixit*, *imò perpetuâ eidem adstrictus societate*, *vitam ipsam tædiosam duxit sine certamine*. TE *verò* Illustrissime DOMINE *dum encomijs aggredi tento*, *percellit pupillam* Illustrissimi NOMINIS TVI *splendor*, *&* *immensa rectefactorum* TVORVM *moles debilem premit Facundiam*. *Vix namq; primam aspexisti lucem*, *jam vel ipsô infantili vagitu præbuisti documentum*, *qualis quantusve futurus eras*. *Hinc puerilia respuens crepundia*, *reptabas per scuta Puer*, *jam ad Scythicas pharetras*, *jam ad chalybeum mucronem teneram extendendo manum*, *&* *ad Sangvinea Martis opera tenellô pectore aspirando*. *Et ubi firmiori stetisti passu*, *ubi fumosas* Majorum Tuorum Ceras, *&* *heroicâ manu detracta hostibus vidisti spolia*, *è Matris*, *in Martis sinũ fugere*, *ab* Illustrissimæ DOMVS TVÆ *splendoribus*, *ad triumphales Gradivi ignes anhelô festinare passu statuisti*. *Placuit tamen Martialibus triumphis eruditô præludere certamine*, *&* *ex capitali hoste ignorantia triumphare*. *Unde ad* Regni Scholam, ad Iagellonicam *properasti* Palæstram. *Videre erat seniô gravem ad* Illustrissima TVA FLVMINA Academicam renasci Palladem, *&* *inexplicabili plausu*, *ac immensô animi tripudiô*, *dulci* FLVENTORVM TVORVM *susurrô recreari*. *Atq; inter Grammaticos Casus optimè firmatô ingeniô*, *Musarum con-*

 sor-

sortio TE *adjunxisti, qua Castalios linquendo Fontes, nectareas* TVORVM FLVMINVM *captarunt undas. Postquàm verò Tullianos Campos* TVIS *inundasti* FLVENTIS, *mox quasi in Elysios mutati, nil præter rosas proferebant, in* TVÆ *virtutis coronamentum. Viruit amæniùs Arbor Porphyriana,* TVIS *irrigata* FONTIBVS, *nec se sterilem putavit, ex qua* TV *millenum Eruditionis fructum collegisti. Et cum* Iagellonica Pallas TVO *delectatur vultu,* TV *Martem spirare, & armigeram sectari Bellonam incæpisti. Unde ex Literaria in Martialem translatus arenam, pro acumine hastam, pro calamo chalybeum vibras mucronem, pro Oratorio lumine, triumphales accendis ignes, pro sepia hostilem fundis cruorem, non jam Rhetoricis Gradationibûs, sed palmari passu, ad Victrices tendens Laureas. Stetit attonitus Mavors, ubi in tenello pectore* TVO *novum nasci spectavit Achillem, quem nec millena terrere pericula, nec improbus fatigare labor, nec deniq; ardenti votô pro Patria mors expetita, ab heroicis ausibus poterat abstrahere. Ruebas in pericula animosior, sternebas hostem dexterior, palmas ubiq; colligebas gloriosior, ut jam infestis* Tartarorum Cohortibus *inevitabilem ictum, jam rebellibus* Cosacorum turmis *infallibilem inferres cladem. Erubuit pallida* Orientis Luna, *cujus superba cornua* jam ad Viennam, jam ad Strygonium *victore attrivisti gladiô, ut* Orbi Austriaco in miraculum, Otthomanis *in terrorem,* Patriæ *in gloriam,* SERENISSIMO IOANNI III. *cessisses in amorem. Tot Laureîs redimitus Heros, tot palmîs gloriosus Miles, post triumphales ignes Hymenæi accendisti faces, & in ulterioris vitæ comitem ex* Illustrissima SZCZEPANOVIORVM DOMO Orbis Poloni Artemisiam MAGDALENAM *assumpsisti, cujus Laudes & encomia ad calculum revocare si placeret, non brevis momenti sed grande sæculorum esset negotium. Innuere satis esto, in ea natam esse* DOMO, *quæ virtutum & meritorum splendore Polonum illustrat Orbem, & suâ* Gentilitia CRVCE *Lechici Imperij gloriam & fortunam contra fatorum malevolentiam protegit & consignat. Nondum tamen heroicæ virtutis exaruit vigor, nondum Martialis in* TE *quievit Spiritus, semper ardentes Gradivi flammas magnanimô fovebas pectore, ut & Civem in Patria, & Militem*

pro

pro Patria gereres, & *quoties salus publica reposceret, vitam cum Sangvine fundere esses paratus. Nec minùs ingeniô quàm manu fortis, ubi arma posuisti, Consilijs Patriam tueri non desinis. Vidit Orbis Polonus, maturam Animi TVI prudentiam, dum toties ad* Generalia Regni Legatus Comitia, *optimi Civis gerebas Nomen. Vidit Sacra Themis justissimum suæ Bilancis Moderatorem, dum ad* Supremum Regni Tribunal Deputatus Iudex *recti* & *æqui arbiter, nonnisi in scelera justitiæ vibrabas gladium. Candidum virtutu pallium si quando induunt vitia, sub TE* Iudice *erubescere cogebantur, qui inter fas* & *nefas limatâ Iudicij TVI dignoscens maturitate, vitijs castigatis innocentiam tuebaris, ut scelerum vindex, Virtutis acerrimus propugnator dici meruisses, Pretiosas Animi TVI dotes æstimans* Invictissimus AVGVSTVS II. Poloniarum REX *emeritam Virtutem TVAM Senatoriâ ornavit Purpurâ*, & *ad intima sui Pectoris admisit arcana. Quanquam iste honor infra TVA merita, non TE ornat, sed à TE ornatur, ut meritò Virtus TVA injuriatam se queri posset, nisi ad innatam TIBI modestiam esset composita. Novit optimè impar licet TVIS meritis honor iste, in quantum à TE elevatur fastigium*, & *posterorum timet invidiam, quòd parem TIBI non habebit Possessorem, qui Virtutum splendore, meritorum claritudine, Iudicij maturitate, Patriæ gloriam, Senatûs Authoritatem, Curulis TVÆ auges decorem. Caput nempe TVVM aurum optimum, Eruditionis domicilium, maturioris Iudicij sedes, Legum Patriarum Archivum, virtutum deniq; omnium Regia. Quidquid loqueris, aurô Cedrôq; notandum, quidquid cogitas, æternitatem sapit, quidquid agis, Posteris imitandum. Quid de profusa liberalitate TVA dicam? cujus præceps manus Fluvios exsuperat Iberos, semper in egenos aurea dona vomens, ut totus cum TVIS* Illustrissimis FONTIBVS *in omnium commoda effusus videaris. Ad hanc splendoris* DOMVS TVÆ *plenitudinem, non minora Orbis Poloni Lumina naturali spectant Iure*, Illustres ac Magnifici Domini: ALBRACHTVS *de Strussy* STRVS Vexillifer Terræ Vielunensis Germanus Tuus, *qui ab ordinario Majorum suorum non recedens tractu, per cruenta Mavortis negotia, ad perennem gloriam* NOMEN *suum provexit*, & *cum effuso hostium*

Sangvine in posterorum memoriam influxit, JOANNES *de Strussy* STRUS Dapifer Tręboyoliensis Patruelis Tuus, qui Jllustrissimæ DOMUS suæ *corusc. is splendoribûs*, *in Aulis Magnorum Principum, ad politioris sæculi genium, primam excoluit ætatem*, *ac Legum Patriarum in* Regni Cancellaria Scrutator, Nominis sui *gloriam perennibus inscripsit fastis*. MARTINUS *de Strussy* STRUS Subdapifer Latyczoviensis alter Patruelis, *vera* Majorum suorum *imago*, *per mille bellorum discrimina*, *Victrices capessuit Laurus*, *pro suis immortalibus meritis nunquam dignè à Patria decorandus. Graditur vestigijs TVIS Aurea in pretium Orbis Poloni Proles* Perillustris & Reverend: Dominus ANTONIUS *de Strussy* STRUS Præpositus Mstyczoviensis, Natus Tuus, *qui maximis honoribus accendit desideria*, *quia ab omnibus appetitur*, *magnū olim Ecclesiæ & Patriæ decus*, *futurus*. JOANNES & FRANCISCUS Filij Tui, *quos ad deliciū & vota præstolantis Patriæ*, *ad decus & invidiam honorum*, Jagellonica Pallas *eruditô fovet sinu*. STANISLAUS *de Strussy* STRUS Tuus ex Patruele Nepos, *qui in Campo Tulliano Eruditionis colligit Flores*, *in Orbis Poloni decus*, *& sui Nominis coronamentum. Subsequuntur non devio passu* Lectissimæ Filiæ Tuæ: ALEXANDRA *de Strussy* TOMICKA, Avitam TOMICCIORUM NAVIM *mercibûs ditans pretiosissimis*. PETRONELLA *de Strussy* DĄBSKA, *quæ* Gentilitiam DĄBSCIORUM ARBOREM *Virtutum suarum fructu fœcundavit. Crescit ampliùs* NOMINIS TUI *gloria in* HELENA & MARIANNA, *hæc ad Cordis TVI delicium*, *&* Jllustrissimæ DOMUS TUÆ *ornamentum*, *teneram excolit ætatem*; *illa*, *inter Sacras Vestales Divini amoris Ignem*, *& Seraphicas* FRANCISCI *fovet Flammas. Ingens labor esset antea-cta revocare sæcula*, *& millenas* DOMUS *hujus Heroinas strictiori recensere calculô*, *per quas ad* Jllustrissima FLUMINA TUA *milleni* Altissimarum Familiarum Sanguinis *influxêre Fontes*: Herburtorum, Mężikorum, Szembeciorum, Rupniewsciorum, Bidzinsciorum, Otfinowsciorum, Ożarowsciorum, Kotkowsciorum, Piegłowsciorum, Dobinsciorum, Łubienieccciorum, Karwowsciorum, Raszowsciorum, Strzałorum, Pałusciorum, *& si longiori computabimus syllabô*, *tota sese Orbis Poloni sinuabunt decora*, *quæ cùm Homeri Iliade comprehendi nequeant*, *in Te omnia clauduntur. Quare* VICTOREM HERCULEM, inter Triumphatricis DOMUS TUÆ *repagula*, *serenâ suscipe Fronte*, *qui TIBI Cælum ipsum ad TVA vota inclinabit*; *ut semper in Honorum meridie felix & incolumis longos ducas sine nube dies. Ita precatur.*

Jllustrissimi Nominis & Honoris Tui.

Devinctissimus Cliens.

Author Operis.

ORATIO.

VOcales & Orbe totô decantatas D. JOANNIS à CRUCE laudes, condignô deprædicare eloquiô, aut nulli, aut sũmis tantũmodò concessum ingenijs AA. Eò namq; Virtutum JOANNIS processit gloria, ut pares suis elogijs non inveniat oratores. Ore Propheticô Zachariæ opus est, ubi JOANNES prædicandus. Vox Clamantis JOANNES, non mutam requirit svadam, quæ suis sufficeret encomijs. Millenas spiret gratias dictio necesse est, ubi totus JOANNES gratia. Gravi Verborum pondere, quod Angelicæ MICHAELIS respondeat bilanci, JOANNIS Magnitudinem libret facundia, alias à districto PRINCIPIS ANGELORUM mucrone, periculum expertura. Humile dicendi Genus & inculta exulet hinc dictio, ubi in Angelica Domo pro Honore JOANNIS perorandum. Proinde exundantia Oratorum arescunt flumina, ad immensam Virtutum JOANNIS

vaſtitatem. Non tàm ſævô rigentis brumæ congelati frigore, quàm ad Angelicam JOANNIS puritatem attoniti, ſiſtunt curſum Exordiorum Fontes, quòd illius laudes & ordiri difficilè, & finire nunquàm valeant. Quæ enim Rhetorica ſubſiſtet Gradatio? ubi alter PRÆCURSOR DOMINI laudibûs celebrandus? quæ protenſæ Schinotenes Cælo conterminam Virtutum JOANNIS ſublimitatem metientur? Totam licet Regina Animorum Eloquentia exuat purpuram, ad huc tamen ad Candidum ELIÆ Pallium erubeſcet. Nullô ſcilicet dictionis ſplendore, nullâ ſtyli elegantiâ, intaminatum Virtutum JOANNIS augebit candorem. Vileſcit phalerata verborum pompa, quia JOANNIS tota in Cruce gloria. Obmuteſcat potiùs altôq; attonitus obſigillet ora ſilentiô Tullius, ubi Virtutes JOANNIS Cruce ſignatæ. Perpetuam Suſtentationis obſervet Figuram, cùm laudes D. JOANNIS ſi inchoaverit, recenſere & finire nunquàm valeat. Adeoq; pro Domo JOANNIS nullus eloquens Orator, in cujus laudibus etiam Cæleſtes hæſitarent Intelligentiæ. Verùm quid agis imbellis ſvada? itanè vocalem JOANNIS famam altô præteribis ſilentiô? itanè gratioſo JOANNIS NOMINI vectigalem devotæ Panegyris non tribues cenſum? itanè ubi totus JOANNEM feſtivîs laudibûs attollit Orbis, ſola in mutam Memnonis obrigeſces ſtatuam? aſſurge in meliores auſus, & ſi quid animi viriumq; poſſides, immenſa licèt encomiorum JOANNIS decurre Olympia. Rigidô Decembris gelû conſtricta Tulliana ſi incuſas fluenta? adſunt Elianæ

Flam-

Flammæ, quibûs liquefacta, plenô in laudes JOANNIS exundent littore. Lumina Rhetorica si desunt? ab ijsdem Flammis splendorem Oratio derivabit. Acuet stylum districtus ELIÆ Mucro, & niveum Ejus Palliũ nudam ornabit dictionem. Sublimem Virtutum JOANNIS celsitudinem, si Rhetoricis Gradationibûs assequi non valebis? sivè volucres pennas, sivè triumphalem velis Currum, utrumq; SERAPHICUS PATER non negabit. Et jam feliciore SIDERUM CARMELI influxu fæcundata, & Sanctioris Promethei Eliæ Flammîs animata Facundia, è Rhetoricis Floribus nectit JOANNI elogia. Phænicem in Rogo Crucis Elianîs Ignibûs ardentem, aut Phæbum inter SIDERA CARMELI refulgentem, aut fulgur è Nubibus CARMELI erumpens, Orbem totum illuminans si Nominavero JOANNEM, omnes hos Titulos vel adæquat vel exsuperat, utpote, qui pretiosissimæ Cruci adstrictus, inextingvibilî Divini Amoris continuò flagrabat incendiô, ex quo formosior indiès Virtutis evolabat proles, & è Nativa CARMELI nube ut fulgur erumpens inferni Gygantes fulminabat. HERCULEM tamen Triumphali Crucis Clavâ monstrorum Erebi VICTOREM D. JOANNEM ex Oratorio suggestu audietis. Patieris D. JOANNES Herculis Te intitulari Nomine, & debiles ingenij mei vires, eâ quam Nominè geris, fovebis gratiâ. Date animos mentesq; Vestras VICTORI HERCULI in Triumphum AA. & benevolas dictioni præbete aures.

Cara Deûm soboles & non ignava Tonantis progenies Hercules, quæ quantaq; gesserit,

plena antiquitatis monumenta, plena Pòëtarum volumina. Vix genitus ille, primîs lacrymîs & infantili vagitu horrenda conterruit monſtra, & faſcijs ligatus Puer venenatos diripuit ſerpentes. Inde creſcentibûs annîs immenſum virium crevit robur, ut jam Erimantheum aprum, jam Lerneam Hydram, jàm Cretæ Taurum, Nemeum Leonem, domitrice Clavâ proſtraverit. Norûnt illa Orbis Portenta Gygantes invictam Herculis fortitudinem, & licèt à Terra Vires roburq; ſumpſerit Antæus, illius tamen dexteræ ſuccubuit. Quinimò fatigatô Orbis bajulatore Atlante, ruenti Cælo infractum ſuppoſuit humerum, & ſub tanti ponderis nunquàm ſudavit machina. Tanta corporis fortitudo! tantum animi Herculis robur! ut & Gygantes proſterneret, & Cælum infatigabili ſuſtentaret lacertô, ipſos deniq; inferos everteret. Verùm exeſto hinc fabuloſæ Pòëſeos ſomnium, & jactabundæ antiquitatis Chimæra, ubi Veriorem HERCULEM D. JOANNEM à Cruce ſupplex dictio veneratur, ad cujus non fictum robur, ſi ventoſæ laudationis Spiritu animatus ſurgeret Hercules, Nomen potiùs mutare deberet, quia vires noſtri HERCULIS adæquare non poſſet. Non Olympicô Jove, ſed & Virtutum nitore & Generis claritate Dijs proximô PARENTE GONDISALVO prodijt in lucem novus HERCULES, pro fabuloſa Alcmena, veriorem Pulcheriam CATHARINAM nactus GENITRICEM. Vix in ortu vitæ conſpexit IOANNEM Erebus, jam ſibi fatalem præſagiens occaſum, Infantem extingvere conatur, cui pro inimica Junone, infenſam in odia accendit Theti-

tidem. Tentavit inflata undarum Domina de libro Viventium delere JOANNEM, quem ad sui regni littora puerili colludentem virgâ, an potiùs domitrice Clavâ, infestîs hausit fluctibûs. Ast irrita fatorum Vota, unicô aquæ Elementô opprimi non poterat, qui olim totius Orbis machinam erat portaturus. Luctatur cum fluctibus Pusio HERCULES, & non jam in angvibus, sed in amnibus suam probat fortitudinem. Vicit tandem undivagam Thetidem, & pallidam rubere fecit, quòd totô procellarum impetu in Infantem adhuc nihil posset JOANNEM. Fremuit vafana Inferni rabies, primosq; contra HERCULEM insultus fractos & elusos advertens, repetitô impetu IOANNEM arietat, suamq; in eo vindicatura injuriam, iterùm fallente vestigiô in profundiorem putei detrudit cavernam; ut extingvat. Exhorruit ad iteratum cum Hercule nostro compulsa certamen Thetis, & jam aliàs Victa, furorem ad modestiam componens, nihil contra IOANNEM moliri præsumpsit. Imò mutatîs naturæ legibûs, siccô vestigiô & mitiore eundem excepit sinu. Stetit palmari passu in fluctibus, & triumphali pede fatorum depresô conamine, Victor cum triumpho, tenellus redijt HERCULES. Et jam toties inferni elusâ astutiâ, toties fatorum retusô impetu & furentibûs undarum superatîs fluctibûs Victor almâ pace forsitan quiescet IOANNES? jam debilitata Erebi potentia amplius cum HERCULE nostro congredi non præsumet? minimè, en iterum resumptîs post cladem viribûs novum illi indicit certamen, & ex coacervatis inferni le-

gionibus funesti belli reparat nervum, ut in prima ætate HERCULIS nostri robur eneruet. En lethifer draco squallidò horrendum Caput efferens antrô, viam metienti occurrit IOANNI, suoq; impetui sustinendo imparem putans, volucri passu in arenam provocat. Stat præ oculis immanis bellua, venena spirans, ut in furorem agat HERCULEM, irarum evomens ignes, ut animum IOANNIS percellat. Micant infernali flammâ oculi: ut mentem perstringant, totam trifauci ore fovet vulcaniam: ut vel ad hos ignes, tenellum IOANNIS pectus timore obrigescat. Quid ages DIVINISSIME Pusio? paratum in stadio cernis hostem, qui suæ Victoriæ gloriam, Te prædam exposcit, hic Tibi aut vincendum aut moriendum est, leva Triumphalem Crucis Clavam, & secundô omine cum hoste congredere. HERCULES non es, si hanc inferni hydram reformidas. Necdum dixi, fecit IOANNES, qui timere nescius, Gygantem animum angustô versans Corpore necdum Vir jam Victor, necdum Triumphi capax, jam Triumphator, necdum arma levare potens, jam hostem sternere valens, non districtô mucrone, nec minaci pilô, sed triumphali Crucis Clavà averni Principem draconis specie indutum, victore aggrediens passu triumphavit adeò strenuè; ut illum in turpem cogeret fugam, & se Domitorem monstrorum HERCULEM demonstraret. Septennis Puer IOANNES, tantâ clade stygium profligavit hostem! qui ubi adoleverit, cum tota maledicta Cohorte inferi formidate. Tot Laureìs redimitus Victor, ad Mu-

sa-

ſarum properat lucos, non ignorans etiam literariam arenam copioſam Laurearum proferre meſſem. Hinc à Pallade haſtam, ab Apolline mutuatus pharetram, contra ignorantiæ Taurum & Aprum eâ pugnavit dexteritate, quæ Herculeîs Viribûs digna foret. Inter Grammaticos Caſus ſtetit immobili paſſu, nunquam in vitià flecti, ſemper à malo declinare ſciens. Ad ſaxeam Parnaſti rupem optimè firmato ingenij robore, cum ipſo certare non abhorruit Apolline, cujus dulciſonam ſprevêre Muſæ Cytharam, ubi ſanctior in Parnaſſo cecinit Vates. Ex Parnaſſi collibus cum Muſarum planctu, cum Tullij plauſu in Eloquentiæ prodiens Campum, non magis Eruditionis quàm Virtutum colligebat flores, continuam in probitate formans Gradationem. Non jam cum Hortenſio roſas, ſed ſolas ſpirabat gratias, totus gratia IOANNES. Geſtiit Porphyrij arbor, & ſponte ſua folia in Ejus virtutis & verticis nectebat Coronam. Stitit attonitas undas admirabundus Euripus, quod in majorem inciderit Stagyritam, quem non cepit, ſed exhauſit IOANNES. Hinc conſummatus Philoſophus cornuta formabat Dilemmata, quibûs ſcelera arietare, inferni malitiam expungere, mundumq; rebellem poſſet expugnare. Hoſtis in caput mundi IOANNES plurimîs ab eo captatur illecebrîs, ut amicam in fædus porrigat dexteram. Totum ſeſe in obſequia IOANNIS effundit Orbis, & omnem pretioſioris fortunæ eviſcerat ſupellectilem, jam immenſas opum copias, jam excelſa honorum faſtigia, offerendo, ut vel hîs fortunæ crepundijs invictum IO-

ANNIS animum demulceret. Verùm apage hinc fallacis Orbis aſtutia, cereis in vitia flecti hæc ſuaſeris, non ferreo IOANNI. Invictus HERCULES eſt, triumphum & Victoriam non divitias expoſcit. Midæ Cræſoq; aurum, HERCULI ſupplicem ad plantas pone verticem. Inter hæc blandientis mundi lenocinia, velut alter Vlyſſes clauſit aurem, nec ſe aſtuti Orbis illecebrîs emolliri permiſit. Virtutis luce contentus IOANNES excelſa honorum ſprevit culmina, aliô quàm Sanctitatis nitore ſplendeſcere non exambiens. Et benè, quid enim ſublimium dignitatum Culmina! niſi fortunæ malignantis fulmina, quibûs miſeri competitores in altum elati graviore lapſu in profundam ignominiæ abyſſum præcipitantur. Quid dignitarij honorum faſces, niſi ſerviles faſciæ an fuſtes? qubûs ambitioſi mortalium animi conſtringuntur. Regalia Sceptra, Ducum Clavæ, pro gemmis lacrymas non raro ab oculis eliciunt, & in vapulatorias degenerant virgas, quibûs faſtuoſa non raro cæditur ambitio. Novit perbellè D. IOANNES nullibi magis liberos animos ſollicitîs vexari curîs, quàm in Curia, & in ditiſſimis fortunæ auguſtalibus, moleſtis mentem torqueri anguſtijs, dignitarias Imperatorum Purpuras non tàm Tyriô murice, quàm ſangvinei ſudoris rubere purpuriſſô, & ab aureis Regum malis peſſima quæq; provenire. Quare virtutis nitori poſtpoſuit hæc omnia IOANNES, ſublimia Honorum faſtigia faſtidivit, & triumphali calcaneô ſuperbientis mundi depreſſô faſtu, feſtivum Victor cecinit triumphum. Victorem vel inde agnoſcite HERCULEM AA. Vidit

hor-

horribilem Antæum mundum, qui evanidis jactantiæ intumeſcit vaporibus, & vicit: ſpectavit expupillatũ monſtrũ Fortunã, quæ fallacia opum & honorum proponebat ænigmata, & proſtravit. Vixit in mundo mundi hoſtis Capitalis, totus mundus, quia mundanum nihil participans. Et licet Orbem incoleret, nunquam tamen in ſcelera rotari ſcivit. Et jam viluere HERCULI noſtro mundi anguſtiæ, alium quærit Orbem, cujus animi majorem Macedone amplitudinem hic capere non poterat. Novum dum quærit Orbem IOANNES, Cælô ipsô indagatore invenit, dum antiquiſſimam CARMELITANAM ingreditur Religionem. Scandit excelſum ſtellati CARMELI verticem IOANNES, ut eò meliùs fallacis mundi aſtutias, quas iterum vinceret, valeat intueri. Igneum flammigeri Prophetæ Eliæ arripit gladium, ut hoſtem animæ triumphet, Triũphalem apprehendit Crucem, ut hâc domitrice Clavâ inferni monſtra profliget. Benè imò optimè ad Genium Cæli ſapit IOANNES, ubi ad Cælicũ inſtinctum, à fatuis malignantis mundi ignibus ad Sanctiora CARMELI properat Phænomena. A publico ſole Religioſas petit umbras, ut quò obſcurior, eò clarior evadat, & quò à terra remotior, eò Cælo propior exiſtat. Stetit in ſupremo CARMELI vertice, ut eò commodiùs, immenſæ Cæli CARMELITANI machinæ, poſt Atlantis Eliæ receſſum bajulatorem ſupponeret lacertum. Cavete furibũdæ Principis tenebrarum legiones! cave perfidi Orbis aſtutia! ubi HERCULES DIVINISSIMUS tutũ, quia ſublimem CARMELI occupavit locum, & diſtrictum Eliæ mucronem, & triumphalem Crucis Clavam, præſtò habet. Cane; cane jam Triumphũ D. HERCULES, dum in ſublimi poſitus, Orbem

 ſupe-

ſuperaſti, Cælos humerîs ſuſtentas, terram victore premis calcaneo, inter Sidera CARMELI tranſlatus, quæ Tibi Triumphales accendant ignes. Sole clariores modeſtiæ umbris obductas JOANNIS Virtutes, vel ad Aſtrorum CARMELI lucem ſpectate AA. In Cælo hoc terreſtri nihil terrenum ſapit, verus in Carne Angelus, dum candidam Eliæ veſtem, ſimul & vitam induit. Quidquid loquitur, Oraculum, Cæli aure dignum, quidquid agit, prodigium ad Orbis ſtuporem, vel heroicum opus ad terrorem. Et licèt lucidiſſimus Virtutum JOANNIS fulgor totum illuſtraſſet Orbem, illum tamen jam CARMELI velare nube, jam innatæ modeſtiæ didicit involvere ſipario, ut Orbis oculum fugeret, Soli Cælo viſendus. O ſummâ modeſti animi humilitatem! o humilē JOANNIS modeſtiam! quô nemo major, nemo minor, quô nemo vocalior, nemo taciturnior. Cum Sanctitate maximus, Sapientiâ altiſſimus, Religione Sanctiſſimus eſſet JOANNES, nihili ſe reputat, imò humanô Nomine dignum ſe eſſe negat. Et benè; Angelus enim Incarnatus erat, qui præter carnem nihil humanum retinebat. Auri Sacra fames cùm alijs fortunæ accendat ſitim, JOANNI nauſeam peperit, qui fortunæ poſtpoſitîs ſplendoribûs, Sanctior in egeſtate Cræſus, in paupertate Midas, in anguſtijs auguſtus, in Religioſa Cella totum Cælum poſſidebat. Hinc mundum temnere aſſvetus JOANNES etiam Sacros in Religione fugiens honores, nullîs ſe eminentijs illigari permiſit, ſive ut ab omni Vinculo liber, Soli DEO mancipatum victimaret animum, ſive ut cùm eſſet HERCULES, ad pugnas & vincenda monſtra promptior exiſteret. Tendit ergo ac Sidera vertice ferit, levis, quia nullô imperfe-

ctio-

ctionis gravatus limô, ut Sanctitatis attigit culmen, etiam profundissima Theologicæ scientiæ arcana, tantô ingenij penetravit acumine, ut quod alijs nunquàm capere permissum, JOANNI cuncta etiam occultissima Cælorum Mysteria ab ipso supremo Magistro essent demonstrata. Consummatus Theologus JOANNES, concordibûs votîs & vocibûs Patrum ad Sacri Sacerdotij munia promovetur. Verùm spectate AA. Invictus HERCULES noster puerascit, & qui toties Gygantem superavit Orbem, toties ferocem Carnis edomuit Taurum, toties deniq; horrenda inferni vicit monstra, ubi ad Sacerdotalis dignitatis excurrendum fastigium, trepidat, & audax olim, ne passum quidem movere audet. O profundam JOANNIS humilitatem! ô summã Divinæ Majestatis reverentiam! quem honores ambiunt, ille renuit, cui millena Sanctitatis & sublimis Eruditionis documenta albô honorem denotant calculô, profunda humilitas obijcit vilitatẽ. Aude tamen JOANNES, & perge quò superi vocant, quò Religiosa urget vocatio. HERCULES es! post tot absoluta certamina, post tot devictos hostes, Sanctioribûs hostijs litare debes· Fecit tandem JOANNES quod optimi voluere superi, incruentam Cælis obtulit victimam, ipse Divini amoris holocaustum; verè sacerdos, quia dotem virtutum præferens Sacratissimã. Sive enim ad Sacratas Divino cultui aras, sive ad eruditas Cathedras spectabimus JOANNEM, & ibi Mystes Sanctissimus, & hic DOCTOR Sapientissimus. Fulminavit scelera è Sacris Exedris, Sanctior Pericles, quot literaria puncta, tot vitijs puncturas infligendo, quot Sch'.notenes, tot funes nectendo; quibûs ligaret & verberaret pravitatem, quot subtilia Argumenta, tot

acuta vibrando tela, quibûs metuenda hæreſeos monſtra profligaret, expugnaret. Judex Spiritualis JOANNES, omnem damnavit improbitatem, proſcripſit ſcelera, ut vel ad ipſum JOANNIS conſpectû, ſolutis in lacrymas ſaxeis peccatorum mentibûs, tot Capitalium vitiorum monſtra Erebô profundiùs dehiſcerent, ſive quod gratioſum JOANNIS vultum intueri, ſive potentem victoris HERCULIS manum ferre non poſſent. Spreti jam aliàs & victore JOANNIS animô contempti honores, iterum ſeſe JOANNI offerunt. Nempe millena Fratrum CARMELI in Diviniorem HERCULEM conſpirant vota, non ut vincant, ſed vincantur, & ab ejus dependeant nutu, & qui ſe omnium infimum humili profitetur judiciô, Primus conſtituitur. Luctatur fortiùs cum honore JOANNES, & cùm à Virtute ſatis illuſtrem derivaret ſplendorem, honorum Titulis clareſcere noluit. Victus tandem blandis votorum prælijs HERCULES Noſter, impoſitum humeris ſuſcipit onus. Et licèt ad CARMELI Primatum accederet, non tamen virtutis reſignavit Principatum, quin ab hoc honore, in meliorem mutaretur. O fauſtas CARMELI vices! cui gratioſus præſidet JOANNES, qui & præeſſe mitiſſimè & prodeſſe optimè novit. Exultavit ut aries Mons CARMELI, ubi ſe infracto Alcidæ D. ſenſit incumbere brachio. Nativa CARMELI Sidera pleniore radiabant lumine, ad virtutum JOANNIS meridiem. Sed ah periculoſa nimis honorum Culmina! vix in vertice CARMELI ſpectavit JOANNEM, furit iterum toties profligati ſtygij hoſtis rebellis inſolentia, & jam occultas, jam apertas machinatur fraudes, ut invictum vincat HERCULEM, jam effrænatam mundi movet malitiam, ut in alta

Eliæ

Eliæ Sede positum IOANNEM deturbet. Nec mirum, imbelles nempe animas fervidus in prælia Mavors, in cruentam non provocat arenam, & igneum Tonantis jaculum vilia contemnit arbusta, sed ille invictum Hectora, hoc Dodoneæ Sylvæ annosam petit quercum, quòd utriq; validus nonnisi placeat Antagonista. Horrendus ille Averni Gygas, licèt irritô conamine invictum tentat HERCULEM. Et nè minùs validô cum JOANNE congrederetur duellô, totam infernalium lixarum trahit cohortem, ut velut agmine factô immobilem prosternat. HERCULEM agnoscite, imò Herculis excessisse robur IOANNEM, cùm ille contra duos nihil valeret, hic cum millena Inferni ageret manu. Et quàmvis tot sauciatus vulneribûs, tot flagellis cæsus, succumbere debuisset, hoc tamen raræ HERCULIS nostri fortitudini ad gloriam cedit, quòd Crucis Clavâ, & furibundam Acherontis compescuit vesaniâ, & in Herculei certaminis documentum, roseas tulit cicatrices. Imò in profuso de innocuo Corpore purpurei cruoris Erithreo Triumphale Crucis Signũ in perennis gloriæ erexit trophæum. Jam forsitan Herculei laboris finem putabitis AA. quòd terminalem in sui Sangvinis Oceano fixerit Columnam? minimè; in Colosso hoc, punctum posuit IOANNES, à quo infinitas Victoriarum ducet lineas, quia: Plus ultra, inscripsit, etiam cum mortis inferni cardinibus, & cum effusa Stygis rabie certaturus. Irrugijt Infernalis Leo, quòd toties confligens, toties profligatus ab HERCULE nostro, cum perenni opprobrio ringens extremè, in tristia pelleretur cubilia. Inde jam à pessima in IOANNEM destitisset conju-

ratione, nisi cunctarum fraudum iniquus cùm esset parens, vix maximis evitandum heroibus invenisset tormentum. Apertò namq; cùm nihil nocuisset Marte HERCULI, occultîs veluti fraudulentô Vlyssis astu, aggreditur dolîs. Spectate AA. ad expugnandum JOANNEM mittit horribile monstrum mulierem effrontem, quæ castissimo IOANNI impurum offert amorem, ut Divinum eripiat, oculîs, nutu, blanditijs, etiam dum tacet disertissima. Quid ages o Flos speciosissime JOANNES! en impura Venus malesanîs ardet ignibûs, ut Tuum innocentiæ adurat candorem. Dulcem venenatâ linguâ porrigit ambrosiam, ut virulentô animam perimat toxicô. Dulcè canit fraudulenta Syren, ut æternô mortis sopiat lethargô, suavi verborum modulamine demulcet animum, ut animam dirô necis perstringat aculeô. At HERCULEM credite JOANNEM, qui nec ferro nec igni cedere, nec venenatis Cupidinis Sagittis succumbere, nec cùm Divini Amoris æstuaret Vesuviô, malesanîs ignibûs aduri poterat. Imò Scopulus Virtutis mulier, ad ignem hunc mollescere, & in lacrymas resolvi cæpit, quibûs mundanum ignem, quô malè arserat, extingveret. Et jam nondum tot laboribûs fatigatô HERCULE, debile Oratoris fatiscit ingenium. Quidni fatiscere debeat? ubi quò latioribûs in Laudes JOANNIS excurrit Gradationibûs, eò ampliora elogiorum illius stadia advertit decurrenda, quò celsiore ad Culmen consummatæ Sanctitatis tendit clivô, eò se in profundiora retrusum declivia obstupescit, ut vel inde invictus appareat HERCULES, quòd etiam ingeniorum fatiget vires. At etiam HERCULES hic,

post

post infinitos Victoriarum cursus ad æternam properat requiem. Nempe cum nihil refragarium habuisset Orbi metuendus & Orco, ipsis Superis nunquam resistere ausus, Eorum nutu, in ferale cecidit Mausoleum, non morti, sed Cælo cessurus in spolium. Inde quiescente à laboribus HERCULE Sanctissimô, etiam Virtutum illius magnitudine fatigatam Svadam quiescere est necesse. Necdum tamen Laudum JOANNIS attigit coronidem, plura ille egit, quàm æternitas enarrare queat, aut stupenda miracula perorare. Quem dum ego reverenter taceo, loquantur vel ipsi muti, per IOANNIS merita restitutâ lingvâ, vel mortui Divinâ Virtute per IOANNEM suscitati, illius deprædicent magnitudinem. Applaudo gratulabundus Vestro honori & felicitati, Religiosissimi CARMELI PATRES quibus ad heroicos ausus Divinissimus prælusit HERCULES, & radiante Virtutum suarum splendore perennis gloriæ accendit meridiem. Non degeneres Vos ab Herculea IOANNIS Virtute, suos Orbis adorat Domitores, ac in Victoriæ documentum, vinctas in triumphum porrigit manus. Formidat à longè vel solam Nominis Vestri umbram Erebus, à quibus toties fusus, ad millena certamina solidô Virtutis armatos clypeô semper paratos cernit Athletas. Exultat in pace Militans Mater Ecclesia, tantîs stipata heroibûs, nullosq; Fatorum veretur impetus, ubi Vos pro sui Nominis gloria expeditos ad pugnas, quia nudô calcaneô, & hôc ipsô ocyores in hostem ruere advertit. Imò igneos Vos Cherubinos ad terrestrem hunc Paradisum excubantes dixerim, quibus & amor Divinus

alas, & SERAPHICUS PATER gladium ſubminiſtrat. Vivum Charitatis ſpiratis Veſuvium, cujus flamma & habitum, & Animos Veſtros lacteô depinxit colore, & Cælorum efficit Candidatos. Ingens Virtutum Veſtrarum pretium, cùm rudis æſtimare non valeat dictio, Angelicæ MICHAELIS bilanci relinquit ponderandum.

Tu vero Diviniſſime IOANNES quem Orbis Invictum expertus HERCULEM, ruenti Polo Sarmatico fortem Protectionis Tuæ ſuppone humerum, & contra hoſtium Gygantomachiam, dexteram præbe Victricem. Suſtenta Orbis Poloni machinam, ne fatorum ictibûs concutiatur. Graveſcentem annîs Almam Matrem Univerſitatem, ſolidô Favoris Tui tuere brachiô, ut in Tuæ Gratiæ ſtabilita fundamento, nunquam in caſum declinet, ſed ſemper Tuâ HERCULEA Virtute & Protectione, quævis adverſa triumphet.

D I X I.